

Vos jugiter bene valere et recte vivere, et esse in omni veritate et justicia, in Christo optamus; ita ut et nullius contrarietatis tēlo inimici vester animus saucietur, assidue deum pura mente oramus. Dilatio autem vestra nos in nostris tribulationibus undique contristat atque multum conturbat. In pellago sumus, prout possumus laboramus, jactamur undique fluctibus, navicula scirtēs¹⁾ obtunditur, elatio maris in profundum minatur dimergi: sola intentio et spes ponitur in anchora. Mandastis nobis per domnum Regignerium capellanum vestrum, ut qualicumque modo se res nostra apud nos vel inter²⁾ abbatem haberet³⁾, vobis per litteras scirem innotescere. Vere, sancte domine, ignoramus aliud in eo esse, nisi idipsum quod fuit et est et erit usque ad finem vitę suę. Quid aliud est, nisi dissipator loci? Quicquid religiosum invenit, ad suum domicilium totum commutavit. Quicquid potest suis fauctoribus⁴⁾ distribuit, ut ipsi pro eo apud⁵⁾ vos intercedant et gratiam ei possint vestram acquirere. Annonam et boves quęque per curtes potest⁶⁾ placitare, omnia venundari fortive facit, et interdicit ne ad claustrum audeat quispiam eorum dicere. Sed tamen ipsi nobis non celant. Postquam autem a fratribus suis ad nos post discessum vestrum reversus est, capitulum suum supra nos, vestris eum prepositis instigantibus, constituit cum abbatibus, cum multis clericis etiam ignotis: ignorantes⁷⁾ qua de causa, nisi quod nos sua nefanda et monasterii vobis intimavimus ruinam. Vos in pace, mi domine, nos dimisistis; utrum⁸⁾ videte, si vobis sit honor quod fecerat, an vestri contumelia? Causam suam propriam quam ex fratribus tunc audistis — reminiscimini vestri gratia — eam in capitulo non aperuit, sed alia⁹⁾ dixit coram illis, quę fratres minime vobis dixerunt. Ecce dicent vobis sue dextere, que sunt replete muneribus, ut nos injuste vobis essemus locuti: nunquam credatis, donec veniatis ad locum. Nos enim quicquid locuti vobis sumus, in veritate Christi ducimus ita esse. De vestra constitutione quam cum abbate Sancti Martini constituistis, indignum sibi fuit et respuit. Censum totum nobis ignorantibus dissipavit, discurrens per abbatiam cum suo capellano facit non modicum damnum. Minatur nos semper expellere, si tandem posset vestram acquirere gratiam. Casulam et albas duas et stolam posuit in vademonio; ter enim posuit et ter¹⁰⁾ resolvit, et adhuc ita jacent in vademonio. Quomodo potest a nobis diligi, qui nunquam a nobis electus est? Sed tantum ad monasterium virga minatus est,

1) viell. für 'in syrtes'. 2) viell. 'inter abbatem et nos'. 3) 'habetur' Hs. 4) So auch unten; hier ist das erste u übergeschrieben. 5) fehlt Hs. 6) 'potes' Hs. 7) 'ignograntes' Hs. vielleicht für 'ignoramus'. 8) Es liegt nahe 'verum' zu verbessern, aber der Schreiber kann auch recht gut 'utrum' ungrammatisch verwendet haben. 9) 'aliam' Hs. 10) 'enim' ist hier wiederholt, aber durch Unterstreichen getilgt.